

**www.e-rara.ch**

**Ioachimi Mynsingeri Dentati a Frundeck, iureconsulti, Neccharides**

**Münsinger von Frundeck, Joachim**

**Basileae, 1540**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-3893>

Ioachimi Mynsingeri Dentati a Frundeck, epigrammatum liber

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IOACHIMI MYSINGE- 121  
RI DENTATI A FRVNDECK, EPI-  
GRAMMATVM LIBER.

De seipso.



*E iuuat ad sacras animum conuertere  
Musas,  
Me iuuat Aonium scandere posse  
iugum.*

*Hic mea Pierides uelabunt tempora lauro,  
Carminis atq; ego ero dexter in omne genus.  
Ipse, Heliconiades, uobis sic dona quotannis  
Reddam, Castalia pectora lotus aqua.*

Ad Mineruam.

*P**Rogenies magni Iouis, ò castissima Pallas,  
Prima Aganippæas inter habenda deas,  
Sis felix, & læta meis allabere cœptis,  
Te penes ingenij est gratia si qua mea.  
Pangere blandifono liceat mihi carmine multa,  
Et dulcèis citharæ concinuisse modos.  
Pangere mi liceat festiuo epigrammata sensu,  
Mi liceat gratos tingere felle sales.  
Annua pro officio magnus tibi uiclimataurus,  
Ante aram ualida cæsa bipenne cadet.*

Ad Venerem.

*I**Ncautos mea lux agitât dum in retia ceruos,  
Dum iuuat hanc lepores sternere, dumq; sequi:  
Ab Venus, ab morsu uioletur ne illa ferarum,*

*Ab Venus ab ne uno funere perde duos.*

*Ad suam amicam.*

**E**X tribus una fuit laudata in uallibus Idæ,  
Iudicio Paridis quondam, Erycina Venus.  
At tu iudicio ternas superasse puellas  
Dicêris nostro, spes q̃; decus q̃; meum.  
Tres tibi nam cedunt diuæ: tibi cedit honore,  
Ingenio, facie, Iuno, Minerva, Venus.  
Et quamuis Paridi, Venerem, malè cesserit, almam  
Iudicio cunctis antetulisse suo,  
Ast ego, qui tibi postpono tria numina, tutus  
Numine, uitabo cuncta pericla, tuo.

*Locus de Cupidine.*

**F**ortè Ioui Dictynna querens de præpete nato,  
Hic puer est, inquit, promptus ad arma nimis.  
Tum pater, ostendens accito missile fulmen,  
Hoc, ait, eijciet tela facis q̃; tibi.  
Cui pharetratus Amor ridenti hæc reddidit ore,  
Quid si tu cygnum rursus inermis ages?

*In amicū ueritatis impatientem.*

**Q**uid quæso? num uera loquar? dissoluet amorem:  
Verum nam mihi te dissociare solet.  
Vin tibi adulari? mea sed natura repugnat.  
Dic, rogo, quid faciam, quo placuisse queam?

*Epitaphium ebriosi.*

**P**Ocula qui solitus multo spumantia uino

*Exiccare*

*Exiccare, tibi, Bacche, dicatus homo,  
Post obitum quoq; apud maneis pro crimine pœnam,  
Iussus ab immiti soluere Gnostiaco.  
Tantalus ac ueluti medio stat siccus in amne,  
Nec fesso potis est ore leuare sitim,  
Potor inexpletus contra noctes q; dies q;  
In caua sic Stygias guttura fundit aquas.*

GEORGIO Schmotzero Iurisconsulto  
patrono singulari.

**Q**Uum, quibus officijs me obstringas, sæpe reuol-  
O studioforum fautor amande uirum, (uo,  
Me uideo grateis non posse rependere dignas:  
At precor, ut referant dii tibi digna bonis.  
Sæpe quidem nostro canerem te carmine, multum  
Sed timeo, in chartis ne moriari meis.  
Castalio neq; enim mea sunt tincla ora liquore,  
Et mihi syluestris surgit ab ore sonus.  
Si durum est, semel humanis discedere rebus,  
Durius at multo bis potuisse mori.

Cordulæ sororis epitaphium.

**I**Mplesti uix iam lustrum, matri atq; parenti  
Quum te lanificæ te rapuere deæ.  
Liquisti in tenebris quum fratres, quumq; sorores,  
Vitali heu nimium lumine cassa citò.  
Tu quia materni fueras pars maxima cordis,  
Dimidiumq; animæ tu quia patris eras,

Ergo tibi nomen cordis fecere parentes,  
 Sed pro hoc tristitias, Cordula, mille refers.  
 Scilicet haud dextro miseram te numine natam,  
 Immani rapuit Parca seuera manu.  
 Inuida claudit humus miseræ solatia matris,  
 Pignora chara patris inuida claudit humus.  
 Has igitur tibi nunc lachrymas exoluo sorori,  
 Quæ colis Elysij regna beata poli.  
 Miserabilis casus.

**P**ropter aquâ ludit dum in gramine Lydius infans,  
 Concidit ah miserè uinctus ab angue puer.  
 Quem uidet ut mater, consumptum amplexa puellum,  
 Ah nimio infelix uicta dolore cadit.

Ad SEBAST. Bruningiū suum cognatū,  
 Ex Hesiodo. **V** Ir sapiens est ille quidem, qui cuncta uolutat,  
 Omnia perpendens, inspiciensq; modum.  
 Proximus huic, qui consilio parère fideli  
 Gestit, & huic paret, qui bene cuncta monet.  
 Sed qui non paret, neq; consulit optima factu,  
 Extremi crede hunc ingenij esse uirum.

Cuidam Pygmaeo.  
**E**N paruo donare lubet te carmine, quippe  
 Conueniunt paruo dona pusilla uiro.

Locus de quadam puella.  
**D**Um quærit, barbam sinerem cur crescere, uirgo,  
 Sic hosti, refero, nam metuendus ego.

Hæc

*Hæc contra: falsum id tibi uel me teste probabo,*

*Nam barbata petor, quæ glabra tuta fui.*

SEBAST. Linckio, ut ad coenā ueniat.

**C***U*ltor Pieriæ cohortis, atq;

*Mirator nimius meæ Thaliæ,*

*Et mihi omnibus è meis amicis*

*Iucundissime, ter quaterq; amate:*

*Ad nos sit tibi erit parum molestum,*

*Si putas, modicam hanc uiam uorasse,*

*Tam gratum tibi, quàm mihi futurum:*

*Ad coenam ut uenias, citò, rogamus:*

*Ad coenam tamen haud Apitianam,*

*Ad carchesia non Bonosiana,*

*Sed qualem Samius probasse fertur,*

*Sed ad pocula quæ Plato probasset.*

*Hæc te lege tamen uelim uenire,*

*Omni postposita seueritate,*

*Vt tecum ueneres, iocos, lepôres*

*Adferas, hilaresq; risiones,*

*Et quicquid retines facietiarum,*

*Et quicquid seris alloquutione*

*Pudica, lepida, aurea, & diserta.*

*Quare istam mihi gratiam sodali*

*Fac, atq; huc propera gradu citato.*

Io. Gaudentio Theologo.

**G***audenti, nostræ enucleas qui iussa salutis,*

Scripturæ nodos soluere quosq; sciens.  
Si lubet exili te mecum prandia mensa  
Sumere, cras uenias, terq; quaterq; rogo.  
Nemo aderit præter Linckum, quem diligo fratris  
Ipse loco, qui etiam me redamare studet.  
Attamen hanc ipsam laudem, Tirynthius heros  
Euandro quondam quam dedit, ut mihi des.

Ad Barbaram.

**A**Lter lucifaci Martis capiatur amore:  
Hic aurum, hic gemmas, congerat alter opes.  
Me iuuat in uiridi requiescere gramine lætum,  
Serpit ubi nitida riuus amœnus aqua.  
Rura uocant, nos rura uocant, uiridesq; recessus,  
Oualeant urbes, florida rura petam.  
Eia age, tu mea diua, alacres migremus in agros,  
Felicis mecum commoda ruris ama.

Fama.

**F**ama bonos lædit, plures ad sydera tollit  
Fama malos, famæ non adhibenda fides.

Ad amicum.

**A**Euales in amore tibi coniungito, si uis  
Vincula amicitiae firma manere diu.

De eodem.

**S**I tibi amicitiam stabilem, fidosq; sodales  
Esse cupis, pariles iunge in amore tibi.

Aliud

Aliud.

**N**I uitæ & morum paritas coniungat amicos,  
Non firmum aut concors fœdus amoris erit.

M. Ioan. Thumparto.

**Q**Uum uideam excelsis niti te uiribus, almas  
Ut possis Musas conciliare tibi.

Castalides tibi quum neclant ferta aurea diuæ,  
Et faueat pulchra Calliopeia lyra.

Quumq; Caballinus, roranti argenteus unda,  
Libandas dederit iam tibi riuus aquas.

Quare age, iam manibus cupias assumere pennam,  
Atq; tui uersus limina nostra petant.

Carmina multa tibi tenuis mea pinget arundo,  
Versiculos pangit nostra Thalia leues.

Iacobo Kunigsbacchio.

**I**NCipe Parnassi paulatim culmina montis  
Scandere, Pierias incipe amare deas.

Namq; tui uigor ingenij, & præstantia mentis,  
Qua polles, non hæc pondera ferre negant.

Carminis ipse autor Clarius præstantibus ausis  
Annuet, & dextra cœpta fouebit aue.

Adiungent sese comites Heliconis alumnae,  
Neclentes placide laurea ferta tibi.

Non te per uarios anfractus, inuiaq; arua,  
Sed recto erudient tramite ferre pedem.

Lætior ut tandem superato uertice celsa,

*Ausis Castalio tingere labra lacu,  
Et posthac celebris uastum uolitare per orbem,  
Tempora iam lauro cinctus Apollinea.  
Quare age, felici iam sydere, & auspice Phœbo,  
Nobile, Kingsbacchi, hoc ingrediaris iter.*

*In Cupidinem mella furantem, ex Theocrito.  
S*Urripiens quondam flauentia mella Cupido,  
Huic alacris digitos cuspide pungit apīs.  
Saucius hinc refugit, Veneri queriturq; dolores,  
Parua, ait, heu uolucris uulnera quanta facit?  
Cui ridens genitrix: quum apibus nō corpore præstes,  
Qualia tantillus uulnera sæpe facis?

*Musæ epitaphium.*

*M*USCA ego sum, facies hominū male pūgere docta,  
Sæpius & fronti non sat amica tuæ.

*Musca ego sum, comes inuicti per sedula regis,  
Ciborum gaudet dum strue multiplici.*

*Musca ego sum, circunvolitans patinasq; cyphosq;  
Sed male dum gusto Cretica uina, cado.*

*Ad IOSEPHVM Mynsingerū germanum fratrem.*

*M*ITTO tibi, omnium mihi charissime  
Frater, Camœnulas meas.

*Lethe deleuit haud nomen tuum mihi,  
Nunquam tui obliuiscimur.*

*Vitalis aura dum reget Ioachimi*

*Artus*

Artus caducos, dum dabit  
Gramen solum uirens, feret dum sydera  
Corusca conuexum polum,  
Viuam memor semper tui: mortalium  
Nullus mihi est te charior.  
Sed heus, ualés ne tu Iosephe? nam precor  
Feliciter uiuas, dehinc  
Virtutis asperum petas fastigium,  
Musasq; fausto adeas pede:  
Nanq; hæ Caballino lacu per sedule  
Sacra ora proluent tibi:  
Cingent lauro caput tuum Parnassia,  
Viuesq; in omne seculum.  
Ne te uoluptas blandiens, circumlita  
Suauitate noxia,  
Et melle, cæteris trahatq; illecebris  
Consortium fortè ad suum.  
Nimium Lyæi te lædat neu poculum,  
Neu te Cupido spiculis.  
Sacras sorores ast nouem, charissime,  
Celebres rogo, fratercule.  
Ne terreat primus labor te: Iuppiter  
Saxa, & salebras asperas  
Posuit malignus: sed deinde nobilem  
Laboriosis gloriam,  
Et inclytam uirtutem, reginam omnium,

Et proximam sacris dijs,  
Radijs micantem splendide fulgentibus,  
Argenteum circum caput:  
Velut micat Dictynna cœlo lucida  
Inter minora sydera.

In ore cuius est uidere Gratias  
Trinas, & Castalium chorum.  
Hæc gloriam, laudem, decusq; sedula  
Quæret, superstes atq; eris,  
Lachesis maligna fregerit si stamina  
Vitæ, per acri pollice.

Quare age, honesti si tu amore tangeris,  
Nomen tuumq; in secula,  
Et esse cognitum cupis minoribus,  
Adesto nunc fausto pede,  
Virtutis atq; frater ò charissime,  
Summum petas fastigium.

Bis dat, qui citò dat. Ad amicum.  
**M**Unera quæ dantur subitò, quæ tempore recto,  
Hæc sunt diuitijs anteferenda Tagi.  
Gratia tarda minus, nam uultu tarda sereno  
Non capitur: tardi munera nulla placent.  
Quare age, si citius dederis munuscula nobis,  
Bis data censebo, tum preciosa magis.

Pauper.  
**P**uper ubiq; iacet, pauper fautoris inops est,  
Pauperi-

*Pauperibus nemo fert miseratus opem.*

Ad SEBAST. Linckium suum, donans  
illi L. Gauricum.

**M**usæ Pierides, decens propago  
Doctæ Mnemosynes, Iouisq; magni,  
Rorantis decus alium & Hippocrenes,  
Cultrices pariter iugi bicorni:  
Musæ dicite, quid meo sodali,  
Vere candido, & optimo sodali,  
Pignus quod satis huic decens amoris  
Synceri dabo, candidiq; amoris?

Hic uos, Pierides, colit colendas,  
Vestri est ille chori decus perenne,  
Ora huic Castalij rigant liquores.  
Qui ad lyram ut numeros canit sonoros,  
Tum solet rapidas domare tigres,  
Tum solet rigidas mouere quercus,  
Tum solet fluuios tenere cantu,  
Venusto, lepto, decente cantu.

Verum non satis hoc, laboriosa  
Rerum indagine syderum labores,  
Et doctè didicit referre cursus  
Cœlestes. Hyemem reducat atram  
Cur nobis, pluuiosq; aquosus imbres  
Orion pariat: fretumq; sicca  
Cur non tangat & Arctos æstuosum.

Et cur uesler alumnus, & perenne  
Stellantis specimen decus q̄: cœli,  
Pulcher Phœbus agat citas quadrigas  
In mundi medio, impetus q̄: olympi  
Vincat contrarios labore multo,  
Donec circuat annuo meatu  
Æthram sydeream, igneos q̄: luci  
Cursu præcipiti addat & caloreis.  
Et cur tot patiatur alma Phœbe  
Errores, Clario ut nitefcatur igne,  
Defectu spatijs quibus laboret,  
Interris quibus una nox trimestri  
Seu duret spacio, dies trimestri  
Duret mense quoq; una: tam peritè,  
Multa & millia millies ducenta,  
Quæ non ipse queam breui referre,  
Tam dulci didicit referre plectro,  
Et tam multimoda eruditione,  
Et tot floridus elegantiarum,  
Vt nil dulcius, elegantiusue,  
Nil disertius, & uenustius nil  
Referri queat usq; & usq; & usq;.  
Ergo huic, Pierides, nouum libellum,  
Doctum (suspicio) & bonum libellum,  
Quem nobis bonus exhibet legendum  
Lucas Gauricus, æuitatis huius

Inter

Inter astronomos decus disertum,  
Inter eximios simul poëtas  
Mirandum decus, & decus stupendum.  
Quare stabit amoris ille nostri,  
Ille candidulus, disertulusq;  
Syncerus liber, & laboriosus,  
Testis perpetuus, perenne pignus.

At tu belle liber, meum sodalem,  
I felix pete, candidum sodalem:  
Meo huic nomine dicito salutem,  
Antè & te uenia offeras petita,  
Et roges, foueat serenior  
Deinde te gremio: quater beatus  
Sictu eris, quoq; & amplius, libelle.  
Quare nunc iterò, nihil pericli est,  
Sodalem i pete iam tuum, meumq;  
Felici omine: uade, quid moraris?

Ad Charites, ut LINCKIO gratias agant  
pro dono sibi dato.

O Nexu, Charites, irresolubili  
Herentes, Veneri grata cohors bonæ,  
Nunquam pocula Lethes  
Poturæ, mihi dicite:

Permagnis hoc opus fortè laboribus  
Sculptum à Dædalea Praxitelis manu,  
Atq; à Zeuside pictum,

Huc quis ferre pedem, precor,

Quis iussit? Clarij lumen Apollinis  
Musarumq; decus Linckius inlytum,  
Hoc uult pignus amoris,  
Esse & mnemosynon sui.

Quas grates igitur persoluam meo  
Polluci, macula ne ingenij noter  
Ingrati tenebrosa, &  
Turpi ignominiae nota.

Magnis pro meritis, munere pro pio,  
Nobis exhibuit mente quod integra,  
Puro & pectore Linckus,  
Cultor Pierij gregis.

Non grates potero fortè rependere  
Sat dignas, etiam pectore sub meo  
Si diuinus Homerus,  
Aut magnus lateat Maro

Ergo huic praemia tot uos, Charites, precor  
Reddati, quot iners littus arenulas,  
Pingues Gargara messes,  
Vites Imolus habet ferax.

Quot Strymon gruibus, quot folijs nemus,  
Ida frondibus, & glandibus herbida  
Epirus quot abundat,  
Quotq; Hyrcania tigribus.

Quot pisces fluuij, sydera quot polus,

Aestas

*Aestas quot segetes, Idaferas fouet,  
Flores uer placidum, uuas  
Autumnus, pluuias hyems.*

*Idcirco ipse mei sic ualeat memor,  
Annos Nestoreos puriter, & bene ut  
Vincat, deinde solutus  
Membris, coelicolas petat.*

*De horto suo, ad Petrum Petramandum Bur-  
gundum Vesontinum.*

**M***E iuuat in uiridi prædulcem gramine somnum  
Carpere, & ad murmur transilientis aquæ.  
Terra uiret, piclæ surgunt cum suauius herbæ  
Floribus, in grauidi palmitis gemma tumet.  
Et uolucres gratis complent concentibus auras,  
Et iaciunt blandos blanda per ora sonos.  
Et zephyri grato recubanteis flamine mulcent,  
Et placida arboreum per strepit aura nemus.  
Florentem miris mecum effer laudibus hortum,  
Hoc etiam recubat turba nouena loco.*

*Tumulus Paulinæ de Sanctis, uirginis Patauinæ,  
quæ equo excussa obiit.*

**B***Arbarus insana rabie, cursuq; uolucris  
Dum tecum sonipes lata per arua ruit,  
Te subito excussit fœdantem puluere crines,  
Eximium Pataui quæ decus urbis eras.  
Haud mora, succurrunt Parcæ, tibi fila secantes,*

*Vt citò ad Elysios transueherere choros.  
Hunc ergo, quæ te ornabant, Charitesq; Venusq;  
Et Pallas, tumulum constituere, deæ.*

*In eandem.*

**L***Anificum iuuat hiciura improba flere sororum,  
Plangere Paulinæ hic inuida fata iuuat.  
Cuius nunc deflet mortem Tritonia Pallas,  
Quæ dederat pulchræ tangere fila lyæ.  
Nymphæ deplorant formam, Charitesq; pudorem,  
Atq; oculos luget interiisse Venus.  
Condidit hic tumulus consumptam in flore iuuentæ,  
Dum male sternacis frena retentat equi.*

*De eadem grecè.*

*εὐχόμενος ἔχρη μορφᾶς Παυλίνῳ, ξέν', ὅδε τυμβῶ,  
ἵππος πέφνε καλῶ, νῦν γοῶσσι δ' ἔρω.  
αἰῶξε νῦν τῆσδε μόρ' ῥεῖον κυθήρεια,  
μοῦσαι κ' ἁλριτες νῦν σοναχοῦσι μέλος.*

*LINCKIO suo.*

*Est notum Sophoclis dictum adeò bene,  
Vt notum magis, & nil melius queat:  
Prodit nempe uirum una hora quòd improbum,  
Et certi ad spatium temporis arguat  
Fortes atq; bonos, & sibi conscia  
Recti corda. Mihi nam bona fœderis  
Intercessit ubi conciliatio  
Tecum, ò magnanimi lumen Apollinis,*

*Qualis*

Qualis principio uisus eras mihi,  
Talem te quoq; nunc uita probat tua.

Quapropter meritò sunt tibi crediti  
Præstantes pueri, maxima spes patrum:  
Quos tu, macle opibus mentis, & ingeni  
Ingresso erudias calle fideliter,  
Dextro Palladij numinis alite.

Tè rectore etenim, te duce gnauiter  
Incumbent studijs, scandere culmina  
Ausis eximijs, atq; auibus bonis  
Parnassi poterunt ardua sic breui.  
Iamq; illis hedera Pieridum chorus  
Ex florente dabitserta uirentia:  
Illis quinetiam Phœbus & aureus,  
Qui Musis cithara præsidet aurea,  
Ex lauro facietsertula mox sua.

At tu laude etiam sic celebrabere  
Insigni, pariter uiuida gloria  
Illorum, tuæ erit iuncta perenniter.  
Felix, cui meritum longa laboribus  
Exhaustis igitur fama decus feret.  
Bis felix, remanet quem celebris honos.  
Ter felix etiam, quem comitabitur  
Post ter millia bis secula, & amplius,  
Excelsò gradiens uertice gloria.

At quàm sum ingenio præditus improbo,

Qui nugis toties te impedio meis,  
 Et tardo toties maxima commoda,  
 Quæ tu discipulis promis amicus.  
 Ignoscas igitur, te oro, mihi improbo,  
 Qui Musam nequeo cogere barbaram,  
 Vt tandem sileat, balbaq; desinat  
 Cyrrhæi inter aues edere murmura.

Ad GEORG. Caprum.

**D**Vm mecum repeto uices caducas  
 Fortunæ uariantis, & iuuentæ  
 Florem purpureum breui perire  
 Temporis spatium, feramq; falce  
 Mortem carpere cuncta subsecante:  
 Ter felix, quater & mihi beatus,  
 Disertissime cultor ò GEORGI  
 Musarum, & uenerande mi sodalis,  
 Videris, studio nouem sorores  
 Acri quòd colis, & perennitati  
 Prudens das operam sciensq; magnam.  
 Harum muneribus nouem sororum  
 Aedis carmina iam disertiora,  
 Arido & modo pumice expolita,  
 Et digna auribus elegantiorum.  
 Actæ hæc ferunt melos Minervæ,  
 Et spirant elegos Tibullianos,  
 Et cultos redolent sales Catulli.

Quum

Quum sic te populo eximant puellæ  
Hippocrenides, inferantq; olympo,  
Te in culto & foueant sinu decenter,  
Non unquam tibi edax nocere quibit  
Liuor, non Iouis ira, non trifulcum  
Fulmen, temporis aut senectâ longi,  
Sed post secula mille cantitabit  
Nomen posteritas tuum perenne:  
Per latas referetur orbis oras  
Nomen carminibus tuum, tuusq;  
Splendor sydereas uolans per auras  
Viuat, perpetuo & fruatur æuo.

Ad Volphgangum Hungerum Bauarum  
Iureconsultum & poëtam.

**M**E tantum extollis, sublimi uertice olympum  
Viseriam celsum, lucida tecla deûm.  
Haud queo Castali j latices contingere fontis,  
Pellor & à montis culmine Pierij.  
Tempero nec digittis chordas, ceu doctus Apollo,  
Me fouet haud tenero Thespia turba sinu.  
Sed tetricas uerso leges manibus pedibusq;  
Posthabitis Musis, Pegaseoq; lacu.  
Rarus, cui liceat sic intermittere nexus  
Iuris, & Aonias rursus adire deas.  
Conueniunt laudes potius tibi, qui bene nosti  
Pollice Threicias sollicitare fides:

Atq; tibi neclit Tritonia uirgo corollam,  
 Te placido gremio turba nouena fouet.  
 Attamen has laudes profectas mente serena,  
 Ceu uerum accipio pignus amicitiae.

De ara Apollinis ad consodales.  
**I** Andudum quoniam folijs languentibus arent,  
 Quae fuerant Clario ferta dicata deo:  
 Ergo iterum uestris cumulate altaria donis,  
 Huicq; arae certo munera ferte die.  
 Tempore sic fiant nullo uestra irrita uota,  
 Audiat & uestras semper Apollo preces.

De fabula Gigantum.  
**T** Errigenae coeli dum culmina summa Gigantes  
 Scandere conantur, pellereq; inde Iouem:  
 Tum pater omnipotens iram, fastumq; perosus,  
 Deijcit ad sedes fulmine Tartareas.

In Linckium iter facientem.  
**Q**uid? quod plus solito uiret  
 Gramen florigerum rura per herbida?  
 Quid? quod plus solito canunt  
 Grato nunc uolucres gutture carmina?  
 Quid? quod plus solito Notus  
 Ventosos pariter continet impetus?  
 Quid? quod iam pluuiæ polo  
 Abscedunt nebulae sydereo procul?  
 Succeditq; serenitas,

*Multo*

Multo & sole nitet lucidior dies?  
Cur spirant zephyri leues,  
Mulcentes placidi munera Nysij?  
Cur ruris choreas deæ  
Exercent socias rura per herbida?  
Musæ, cur numeros lyra  
Spargunt suauifonos, inclytæ, eburnea?  
Præstans Aonidum comes  
Idcirco quoniam constituit pedem  
Dudum ferre uirentia  
Sylvæ arua per & montium, ad inclytum  
Fautorem & dominum suum,  
Ipsum qui proprijs plus oculis amat,  
Et dignis quoq; honoribus  
Ornat, qui studijs usque fauet suis.  
Quare sperare candido,  
Et faustis auibus deuoret hoc iter:  
Nobisq; incolumis precor,  
Et sano redeat corpore præditus.

Clarissimo uiro D. IOACH. Schillero ab

Herderen Doctori.

**M**Ultam dicito, Pieris, salutem,  
Attamen uenia prius petita,  
Huic, quem diligo ceu meos ocellos,  
Quem nunquam ex animo meo remitto,  
Et qui me redamat fideli amore.

Quod si, cur mihi tam bene ac decenter  
Secum conueniat, requireret ille,  
Dispar quum hunc studium fatiget, & me:  
Huncce nam medicina notiozem,  
Doctum reddidit, ac disertiozem,  
Vt præstans ubicunq; sit locorum,  
Morbos pellere norit ut malignos  
Ægris corporibus scienter omneis.  
At ego Aonias colo puellas,  
Esse quæ uoluere me poëtam,  
Qualemcunq; quidem, tamen poëtam.

Qui fit ergo, quod ambo & usq; & usq;  
Mutuis animis amemus, & quod  
Simus nos adamantinis catenis,  
Feruentiq; calore coniugati?

Nempe numen habent bonum poëtae,  
Magni numen Apollinis, coluntq;  
Eundem medici simul periti.  
Nanq; is est medicæ repertor artis,  
Herbarum ille potentiamq; uimq;  
Primus repperit, Aesculapiumq;  
Harum notitia peritiozem  
Posthac reddidit, ille posset ægrum  
Vt morbo releuare se uiente.

Est & carminis autor ille Phœbus,  
Qui Musis cithara nouem tenellis

Pulchra

*Pulchra præsidet, & nimis decenti:*

*Et qui tempora laureis corollis*

*Vatum uelat, & hos facit perennes.*

*Ergo quid, Ioachime, quæso mirum,*

*Si flagrem nimio tui calore,*

*Et si me redames simulciissim,*

*Quum communia sacra, dijq; eidem*

*Sint nobis? bonitasq; castitasq;*

*Morum conciliat mihi te, & huius,*

*Quo polles, decor eruditionis,*

*Et candor niueus, decensq; dotes*

*Tot pulchre ingenijq; corporisq;*

*Me iungunt tibi uinculo perenni,*

*Quod non ira Iouis, malusue liuor,*

*Sed dissoluere sola mors potissit.*

*Ad Linckiu, mittens illi tria mâla punica.*

**E***xhibuit donum Linckus, quod munera Bacchi.*

*Excipiens, potis est ore leuare sitim.*

*Hoc uoluit signum contracti fœderis esse,*

*Et præstans animi  $\mu\eta\mu\acute{o}\sigma\omega\nu$ q; sui.*

*Quapropter  $\mu\acute{\epsilon}\rho\alpha\tau\acute{\omega}\alpha\upsilon\tau\acute{\omega}$ ,  $\kappa\iota\sigma\sigma\upsilon\epsilon\gamma'$   $\iota\sigma\omega$ ,*

*Ascræi iuxta dicta uerenda senis*

*Vt referam, tria mitto tibi quoq; poma, sitim quæ*

*Sæuam dispellant, & Charites referant.*

*Alcinoi quæ si pomaria blanda tulisse*

*For san credideris, Hesperidumue solum:*

Carmina seu Clarium hæc fecisse putaueris, auro,  
 Et longa pulchrum, compositaq; coma,  
 Hoc magis oblectare tuum data poma palatum,  
 Et mentem poterunt carmina nostra tuam.  
 Poma igitur primum, dein carmina suscipe tali,  
 Quali fronte tuos excipio modulos.

M. Io. Zinckio suo compatri.

Com-pater ò Zincki, conuiuia rogatus adesto,  
 Si non sordescunt fercula nostra tibi.  
 Verum hac lege tamen uenias, si parca placebit  
 Mensa, seni Samio quam placuisse ferunt.  
 Nam tantum mea mensa salem, pallensq; cuminum  
 Præbuerit, noster quodq; olus hortus habet.

Io. Vito Scheib.

Concilies ualidis uirtutem uiribus almam,  
 Aemulus & fias Palladis Aoniæ.  
 Est uia uirtutis (fateor) lapidosa, uel arcta,  
 Hæc fructus profert attamen usq; bonos.  
 Pallida dentata mors corripit omnia falce,  
 Vnica uirtutis nomina morte carent.  
 Soluerit ut Lachesis tibi uitæ stamina quondam,  
 Dixerit extremam & mors gemebunda diem,  
 Non tamen hæc Stygias unquam transibit ad undas,  
 Mortem nam uirtus imperiosa domat.

Georg. à Schualbach V. I. Licentiato.

Ad te ne redeat nullo sine fœnore carmen  
 Hungeri,

*Hungeri, mihi quod terq; quaterq; placet:*

*Quo tibi gratatur felici prorsus auena,*

*Inducitq; nouem plectra mouere deas,*

*Clausas ante fores quæ felices Hymenæos,*

*Coniugij letos concelebrentq; choros.*

*Quare subiunxi nostræ modulamina Musæ,*

*Verius hæc seu tu murmura barda uoces.*

*Sic solet & coruus crocitare per arua Caystri,*

*Cygneumq; rudi rumpere uoce melos.*

*Ad eundem.*

*S*Chualbacchi, modo qui nouus maritus

*Dulciter frueris noua marita,*

*Diti, lacteola, atq; mollicella,*

*Dotata bene moribus pudicis,*

*Formosa & lepida noua marita.*

*Cedò an esse poteſt amabò quicquam*

*Vobis ludere dignius uiciſſim?*

*Fabellas ſimul & loqui elegantes?*

*Internàs ne etiam tibi medullas*

*Titillat lepidus ſuſurrus oris*

*Tum, quum roſcidulis tibi labellis*

*Sugit labra, procaxq; ſuauiatur?*

*Et ſpirat roſeo dehinc ab ore*

*Fragrans ambroſij liquoris aura?*

*Iſtud faxit Hymen, decenter ambo*

*Sitis unanimēs, nouoq; coniux*

Centum basta deferat marito.  
 Siciuos carpite dulce uer iuuentæ,  
 Sic consumite floridam iuuentam,  
 Instantis memores nimis senectæ.  
 Nam cito ueniens senectæ gressu,  
 Iam uires adimet ualentiores,  
 Aetatis teneræ metetq; florem,  
 Crines inficiet colore cano,  
 Sulcabitq; uagam breui dierum,  
 Ruga, curriculo cutem, senilis.  
 Incautos solet hæc & oscitanteis  
 Incessu tremulo occupare passim.

Quare nunc itero, breuem iuuentæ  
 Florem carpite condecenter ambo:  
 Huic & coniugio faces ministret,  
 Atq; igneis Venus ipsa prurientes,  
 Proles cuius, Amor, decora teq;  
 Vxoremq; tuam uenustiore  
 Fixit cuspidis aureæ pharetra,  
 Vestrum ut nulla querela sic amorem,  
 Nec uos dissociare possit unquam.

De Achario diuite & auaro.  
**P**ossidet Acharius uillas, & iugera syluæ  
 Plurima, nummorum ponderibusq; micat.  
 Lanigriq; gregis permagna huic copia balat,  
 Pinguiq; innumero diuidit arua boue.

Aitamen

*Attamen est (mirum) congesto pauper in auro,  
Plura petit cupidæ pallor auaritiæ.*

*Ergo bonus Miades patrio contentus agello  
Ditior est multò, uincit & Acharium.*

Sebastiano Bruningio.

**M***acte animo, qui Cæsarei fundamina Iuris  
Prima iuuentuti sic aperire studes.*

*Difficileis legum nodos, ænigmata, nexus  
Tempore sic disces soluere quosq; breui.*

*Non te desidiæ retrahat, non spurca uoluptas,  
Non Bromius, Paphiæ mollitiæ sue deæ:*

*Sed nec quisquam alius, subdens: heus tanta recusant  
Non sat firmi humeri pondera ferre tui.*

*Huic sic respondere potes: mihi singula scribo,  
Non tibi, me studijs inuigilare iuuat.*

*Perge uoluptati tu deditus esse, quid ad me?*

*Me pedem in hoc uitæ tramite ferre iuuat.*

*Sat scio, me magnos posse hinc decerpere fructus,  
Et mea iuridico proluere ora lacu.*

*Quod si (ceu fateor) quædam indiscussa reliqui,  
Nec declaravi singula uerba bene,*

*Conuenit haud totum idcirco contemnere librum,  
Ætas posterior fors meliora dabit.*

Amicitia inter æquales.

**O***dit amicitiam constantem dispare uita  
Dulcis amor, Charites, & Cytherea Venus.*

De eodem aliud.

**S**I ueros cupias tibi sodales  
 Dextræ iungere uinculo perenni,  
 Aequales tibi iunge consodales.  
 Nanq; debilis est, parumq; firmus,  
 Autumni & folijs magis caducus,  
 Connectens amor imparesq; uita, &  
 Moribus, studijsq; discrepantes.

Ad CAROLVM V. Imp.

**C**Arole, uicisti Gallum uictoricibus armis,  
 Tristior en capto Gallia rege dolet.  
 Non tu bella geris regnandi cæcus amore,  
 Sed pacem ut condas, CAROLE, bella geris.

Adeundem.

**E**St equidem felix uictoria sanguine parta,  
 Faustaq; sunt forti bella peracta manu.  
 Claruit hac Libycus crudeli Marte tyrannus,  
 Contudit & uires, Itala terra, tuas.  
 Claruit hac pulchris populorum terror in armis  
 Scipio, Elysæam sustulit atq; domum.  
 Nec minus est felix celebri uictoria parta  
 Consilio, & ualidis uiribus ingenij.  
 Claruit hac Fabius, patriæ decus atq; suorum,  
 Qui non hostilem sanguine tinxit humum:  
 Sed sine cæde fuit dux formidabilis hosti,  
 Hunc rem cunctando restituisse ferunt.

Ast hæc

*Asi hæc palma quidem est, qua non felicior ulla*

*Esse potest, cunctis anteferenda alijs:*

*Reddere captiuos hostes sine sanguine & armis,*

*Pareat ut promptus iussibus inde tuis.*

*Sed meritis, atq; officijs, animoq; benigno*

*Deuincire hostem, & conciliare sibi,*

*CAROLE tetalis decorat uictoria: summis*

*Nanq; tibi officijs pulchra trophæa paras.*

*Tecum quis poterit quenquam conferre priorum,*

*Vel qui sunt, uel quicumq; futurus erit?*

*Iosepho Phrysiò à Septem*

*syluis, suo.*

*SI iunctum inter nos Lachesis non fregit amorem,*

*Quem quondam inter nos sanxerat alma fides:*

*Si quid & officij tulimus, quo pectus amore*

*Cresceret, & dedimus carmina sæpe tibi:*

*Cultor amicitiae perstans si gliscis haberi,*

*Siq; tibi stabilis semper inhæsit amor:*

*Limina nostra petant tandem tua carmina, quæ so,*

*Carmina mirificis luxuriosa modis.*

*Non plus me recreet tersi uel Musa Tibulli,*

*Quàm tua, quæ redolet balsama, thura, crocum.*

*De puero mira arte sculpto.*

*QVid? ne putas puerum ridere, & uiuere saxum?*

*Stulte quid exclamas marmor habere animam?*

Epitaphium Georg. Baronis à Vualtpug,  
hæred. Dapiferi.

**H**Oc iacet in tumulo decus immortale Baronum  
Proh dolor, ante diem decedit ille suam.  
Virtuti æquales annos quia Parca putauit,  
Hunc rapuit iuuenem, dum putat esse senem.  
In eiusdem imaginem sepul-  
chro adfixam.

**H**Anc fortè effigiem cernes quicunq; uiator,  
Effigiem nostri præsidis esse scias,  
Imperij Vuirtembergensis qui rexit habenas,  
Quas olli placidus tradidit Austriades.  
Qui fuit & generis decus immortale paterni,  
Et Martis columen, iustitiæq; decus.  
Corda libidinibus gessit qui imperuia uanis,  
Virtutis cultor, religionis amans.  
Proh scelus, est ipso consumptus flore iuuentæ,  
Cessit & ad superos spiritus æthereos.  
Quod si ipsi senium Parcæ, canosq; dedissent,  
Stamina quæ huic nimium dissoluere citò,  
Non modo adæquasset proprijs uirtutibus omnes,  
Verumetiam cunctos præterisset ouans.  
Dicigitur, placidè, discedens, ossa quiescant,  
Vuat & astringera spiritus arce suus.  
Dialogus cōsolatorius ad Paulum Getzonē me-  
dicinæ Doctorem, ord. Friburg.

Collo-

Colloquuntur Paulus, & umbra uxoris suæ.

**H**eu misera, infelix, misero miseranda marito,  
Orbatæ soboli commiseranda tuæ:

Quæ mihi te rapuit duri uiolentia fati?

Quæ charo eripuit te mihi, chara, uiro?

*V.* Quid lachrymas miser? *P.* Infortunia cōiugis atra.

*V.* Insanire cupis? sic uoluere dei.

*P.* Heu misera, infelix, & dilectissima coniux,

Coniux, deliciæ, spes mea, dulce decus.

*V.* Contineas lachrymas. *P.* Eheu tūne es mea coniux

Quæ loqueris? *V.* non. *P.* quid? dic precor. *V.* um-

*P.* Hanc utinā tecū licuisset ponere uitam, (bra sua.

Indigno coniux funere rapta iaces.

*V.* Quid fles? quum tristi nil posse resistere fato

Sat tibi sit notum. Mors rapit orta semel.

*P.* Ah doleo, non matura te morte peremptam,

Ah matrem lugent pignora chara suam.

*V.* Sed tibi quid prodest lachrymis corrūpere ocellos?

Quid prosunt questus, chare marite, graues?

*V.* xori potius debes gnatarier, ipsa

Quod sim terrena iam resoluta fece,

Et quod sim felix his nunc egressa tenebris,

Quod mea sydereas incolat umbra domos.

*P.* Sed reuocant matrem nati, natæq. *V.* quid ergo?

*P.* Non satis educlā est ab tua progenies.

*V.* Verum est, erepta ingenuè tu coniuge natos

Instrue, nec doleas me periisse citò.

P. Hei mihi. V. quid ploras? ab parce laceſſere ma-  
 Ad ſuperos mihi iam mens pia fecit iter. (neis,  
 Chare uir, haud dubita, tibi conciliare ſtudebo  
 Aeterni ſemper numina ſancta patris,  
 Vt poſtquam Lachæſis tibi uitæ ſtamina quondam  
 Ruperit, ætherca ſede fruare quoq;.  
 Tunc iterum charam uxorem, uir chare, reuiſes,  
 Elyſius q; iterum uincula neſcet Hymen.  
 Interea tibi ſint curæ, tibi ſint & amori,  
 Quæ genui de te, pignora chara, Vale.  
 Sebaſtiano Derrero Iuriſconſulto, L.L. pro-  
 feſſori ord. Friburgi.

Haud opis eſt noſtræ grateis perſoluere dignas  
 Tantis pro meritis, officijs q; tuis,  
 In me quæ toties animo conferre benigno  
 Haud meritum, & mira dexteritate, ſoles.  
 Tot tibi ſint igitur grates, quot Gargara meſſes,  
 Mellificas quot habet dulcis Hymettus apes.  
 Ver placidum quot diffundit uernantia campis  
 Gramina, ſyderibus quot micat atq; polus.  
 Quot rigidas fouet Ida ſeras, quot & aura uolucres,  
 Auritos lepores quotq; alit altus Aithos.  
 Ergo uale, & placidis me perge amplectier ulnis,  
 Te quoq; mi poterit nulla abolere dies.

Querela huius temporis.  
 HEi mihi, Chriſtigenium, celfi regnator olympi  
 Quot,

Quot, genus, infandis afficit usq; malis?  
Quis nescit, quantis iactetur fluctibus orbis  
Ausonius, quantis Theutona terra malis?  
Regna per heu sæuo concurritur Itala ferro,  
En miserè ante oculos diruta Roma iacet,  
Gallia uicta gemens sensit, sensisse pudetq;  
Alitis an ualeant fortia rostra Iouis.  
Germanus proprio fœdauit sanguine campos,  
Gessit & in patrios arma cruenta lares.  
Inuasit nos Turca ferox, uastauit & urbes,  
Hostili eripuit plurima regna manu.  
Ossibus humanis albescit squalida tellus,  
Tanta cohors hominum lumine caesa iacet.  
Immisit pestem nobis hominum atq; deum rex,  
Pestem, quæ rabida singula falce metit.  
Urget nos miseros per longo tempore dura,  
Excitat & mortem, mortis alumna, fames.  
Attamen has poenas quis non meruisse fatetur,  
Crimina sæua hominum, ferrea secla, dolos?  
Et maiora quidem euenient, uelut auguror ipse,  
Augebunt poenas numina summa patris,  
Ni cupiant homines ueteris contagia culpæ  
Pellere, ni cupiant semper amasse deum.

De ERASMO Roterodamo.

Quisquis carminibus ter magnū gessit Erasmus

Laudare, addet humo puluerem, aquasq; mari.  
Laudibus et meritis magnū qui fraudet ERASMV M,  
Auferat hic terris puluerem, aquasq; mari.

De pila trigonali.

**S**I celeri nescis palma fundare rotundam  
Arte pilam, exercet corpus at illa tamen.

In Epiclopum quendam.

**N**Uper fortè tuum nacli, ò Epiclope, libellum,  
Legimus hunc cupida sedulitate simul.  
Qui potui risum, quæso, cohibere? sodales  
Hunc si non possunt continuisse mei?  
Risimus, & fermè risu diffleximus, ut te  
Esse patet plumæ uersicoloris auem.  
Ornasti siquidem furtiuus carmina pennis,  
Vt si festinet carpere quisq; suas,  
Ac capite ad calcem disruptum erit omne uolumen,  
Viscera erunt misero dilacerata libro.  
Nulla erit huic facies, constabit pagina nulla,  
Ex omni mancum parte uolumen erit.  
Quod si, Epiclope, tuæ gestis succurrere famæ,  
Talia me si uis conticuisse diu,  
Desine furtiuos posthac contexere uersus,  
Aut in te iambos ipse uibrabo truces.  
O dirum exitium, te usq; ad suspendia ducam,  
Meq; iterum haud poteris conciliare tibi.

In inuidum.

In inuidum.

**M**ulta in me uibras conuicia, non tamen unquam  
 Me potis es lingua commaculare tua.  
 Quare tam rabido cessa indulgere furori,  
 Ne fortè insana bile crepans pereas:  
 Bile crepans pereas, nimium gliscente ueneno,  
 Ah miserum est atra bile crepando mori.

In eundem.

**R**ingere, siue quod optarim mage, rumpere liuor,  
 Vitam etenim rabidam mors decet illa tuam.

Ad seipsum.

**N**on caret inuidia studium uirtutis honestum,  
 At nemo uitij inuidus esse cupit.

Cur sequor idcirco rectum, non dulcia furta?

Quando hæc sunt hominum grata fauore magis.

Nobili ac doctis, uiro Petro Bembo Veneto s.

**B**EMBE, maris Veneti decus, & uirtutis alumne,  
 Quem circūuolitant (ut apes thyma uere comanti)

Ingenia atq; lyræ, quem cuncti ad sydera tollunt

Laudibus egregijs, quem omnes mirantur, amantq;:

Si uacat à grauib; paulum diuertere chartis,

Queis Venetum primus commendas facta tuorum

Inchyta, dum Liui contendis uincere scripta,

Larga ex ingenti thesauro munera promens:

Si uacat ad placidas mecum secedere Musas,

*Accipe, quæ tibi iam nostro de paupere fundo  
Dona damus: licet exilis mihi surgat ab ore  
Agresti sonus, & tenui modulemur auena,  
Ne tamen idcirco nostrum contemne laborem.*

*Ingenij monimenta tui rorantia nectar,  
Succosq; ambrosiæ dulceis quum perlego, BEMBE,  
Quæ uastum penitus norunt uolitare per orbem,  
Ilicet absentem magno te amplector amore.*

*Quid mirum? nulli uberius Libethridos antri,  
Quàm tibi, laxauit fonteis diuinus Apollo,  
Et Latio miscere fauo dedit Attica mella.  
Nam nostro quoscunq; bonos euoluimus æuo  
Autores, hos lustra decem, uerè aurea lustra,  
Et studijs uirtutum almis præclara tulere:  
Lustra, quibus Cicero patriæ pater, & Romani  
Eloquij princeps uitaleis carpserat auras:  
Quæ simulac sunt lapsa, etiam præstantia linguæ  
Præterijt Latiae, & successit copia fandi  
Turpior, hanc quia posteritas contempsit agrestis,  
Aut quoniam fandi morem corruptit auitum,  
Ausonia in fineis incurfio crebra Gothorum.*

*At turestituis nobis, BEMBE, auspiciis dijs,  
Et duce præstanti ingenio, studioq; peracri,  
Candorem Latiae rursus linguæ, atq; nitorem.  
Eloquio hæc ætas gaudet reparata priori,*

*Et tua*

Et tua lætantes sequimur uestigia cuncti,  
 Plaudentesq; tibi, & meritas testantia grateis  
 Carmina nunc canimus. Sed quis fastigia, BEMBE,  
 Summa queat, quæ te decorant, attingere laudum?  
 Meduacus donec Pataui magnam alluet urbem,  
 Urbem quam posuit præstans Antennor in armis,  
 Post pulchræ excidium, & post diruta moenia Troiæ,  
 BEMBE, tuum semper laudabunt secula nomen.  
 Quin tua iam penitus per se nitet aurea uirtus,  
 Pulchrè per se splendet, nitidum uelut aurum  
 Plumbum inter graue, & obductum rubigine ferrum:  
 Seu uelut exiguas stellas nitidissimus inter  
 Cynthia, ut roseo surgens decoratus amictu,  
 Lumine perfundit multo terrasq; fretumq;.  
 Hæc uolui scriptis mandare, ut nostra uoluntas,  
 Atq; animus tibi sincerus perspectior esset.

Ad Sebastianū LINCKIUM epistola.

**A**Ccepi carmen Phœbi cultoris amicum,  
 Et mihi quod gemmis, fuit & preciosius auro,  
 Candorem propter Latiae linguæ, atq; nitorem,  
 Propter & officium contracti fœderis arcum:  
 Vix ego cui ualeo, scribendi paupere uena  
 Præditus, & quoq; Castalijs semotus ab antris,  
 Respondere stylo sat grandi, ac diuite uena.

Tu siquidem, LINCKI, sophiæ tu gnauiter æuum

In studijs, rerumq; indagine conteris omne,  
 Palladis & doctæ spatiosa per arua uagaris,  
 Omine felici Musarum, & Apolline dextro,  
 Murmur ut ad raucum fontis, laticisq; perennis,  
 Aurea frondenti uelatus tempora lauru,  
 Serpentiue hedera, placide adspirantibus auris,  
 Ambrosios inter flores, & frigus opacum,  
 Ore renidenti toti laudata cohorti  
 Pieridum recinis, Musis & Apolline digna.

Iuppiter at, penes est hominū quem summa potestas,  
 Et rerum, atq; deūm, hæc prorsus mihi dona negauit,  
 Vtpote non digno, uel tristi sydere nato,  
 Aut alia forsan fretus ratione latenti.

Nanq; ego nodosi uersare ænigmata Iuris,  
 Et solidos legum nexius dissoluere disco.  
 Sed quando curis mihi mens lassata fatiscit,  
 Tum reuoco Musis animum, tum carmina pango,  
 Carmina quæ nobis non pulcher diclat Apollo,  
 Quamuis assiduīs precibus mihi sæpe uocatus.  
 Ergo quid mirum, tenui me scribere carmen  
 Filo deductum? quod in illo nil queat esse  
 Laudati, obsequium præter, sincerum & amorem.

Porrò non opus est ullas mihi dicere grateis,  
 Et quod amicitiam tecum, socialeq; foedus  
 Iunxerim; at ipse tibi deberem soluere grates,

Foedere

*Fœdere qui mihi gestieris coniungier arcto.*

*Nam me pulchrarum uirtutum insignia pulchra  
Deuinxere tibi, quæis tu splendesq; nitesq;  
Et pectus uerè ingenuum, moresq; probandi,  
Ingeniumq; micans præclaris dotibus. Hæc sunt  
Quæ me deuinxere tibi, quæ fœdus amoris  
Sanxerunt, firmum, socium, inuiolabile, concors.*

*Dij mihi sint testes summi, tuq; inelyte LINCKI,  
Palladis, & docti soboles pulcherrima Phœbi,  
(Nanq; tibi Pallas fuit nutricia quondam,  
Et Phœbus docuit fidibus resonare canoris)  
Tu mihi sis testis, testes mihi numina sunt.*

*Nam ueluti Gnidiae iunguntur amore columbæ,  
Sic & nos stabili iungemur amore gemelli,  
Quem non ira Iouis, ualeat non rumpere liuor,  
Et quæcunq; solent gratum diuellere amorem.*

*Sic nobis cedit Pylades Phocæus, amoris  
Exemplum ueri, præstans quoq; gloria Nysæ,  
Et fidus promissa obiens uadimonia Damon:  
Mutua Tyndaridum cedit bona gratia fratrum,  
Pirithous cedit, cedit Troëzenius heros,  
Et celebres quoscunq; alios concordia reddit.*

*Ad Nymphas suas Neccharides, ut Linckij*

*Musam excipiant.*

**N***ymphæ Neccharides, quæ me per glauca parētis*

Flumina duxistis, magniq; decora PHILIPPI  
 Incluta iussistis iuuenili pangere uersu:  
 Obuiat en nobis, uiolas, & nectar odorum,  
 Succosq; ambrosiæ dulcis, lotonq; uocali  
 Sacratam Phœbo redolens, pia Musa Sebastii:  
 Obuiat, & nostras humilis desiderat ædes  
 Scandere: quid referat miror, uos ocyus ipsi,  
 Ocyus ò Nymphæ uenienti occurrite quæso.

Ergo mihi tantum fauet incluta gloria Phœbi,  
 Musarumq; decus magnum, specimenq; perenne,  
 Proreditu quod uota meo, uerè pia uota  
 Concipiat? peregrinanti & mihi fausta precetur  
 Cuncta, mei summa fors sollicitudine motus?

Lunam intelli  
 git, quæ cū som  
 no sopitum ui  
 sa est accedere.

Hoc erat, humoreis & sidera cuncta gubernans,  
 Quod dea mi retulit, præstanti corpore pollens,  
 Et pulchros niueis induta coloribus artus.  
 Illi candiduli dentes, oculiq; uenusti,  
 Pallidulus fueratq; color, tum corpus eburnum.  
 Quæ sese nobis, quum iam paulisper ocellos  
 Somnus clausisset nostros, & membra quiete  
 Languida pressisset dulci, dedit inde uidendam.  
 Mellea dein propior his uocibus ora resoluit.

Est quoniam, Ioachime, tibi mens lata per arua  
 Ferre pedem, Linckus Musarum certa propago,  
 Dimidiumq; tuæ uitæ, & solamen amoris,

Pectore

Pectore sincero pro te uerè aurea supplex  
 Vota uouet, quod te incolumem pia numina Phœbi,  
 Et reducem reddant laribus, fidoq; sodali,  
 Qui te oculis plus certè adamat, tu quemq; uicissim  
 Plus redamas oculis, quare crinitus Apollo  
 Supplicibus uictus uotis, & supplice uersu,  
 Nubila depellet cœlo, pluuiasq; madenteis,  
 Aëris abijciet noctes, & lumine claro  
 Splendebit rursus, postquam Tithonia coniux  
 Cras roseis iterum fulgebit præuia bigis.  
 Hæc tibi me iussit frater meus ipse referre,  
 Iussit & obscuras me cœlo pellerè nubeis.  
 Ergo ubi cras liquidos Phœbus conscenderit axeis,  
 Ingrediaris iter felix, atq; omine fausto.

Phœbum intel-  
 ligit, quasi fra-  
 trem lunæ.

Hos dea diuino sermones ædedit ore,  
 Atq; iter ingressum feliciter ipse peregi  
 Auspice Cyrrhæo, qui me duxitq; reduxitq;  
 Ad Linckum rursus felici sydere. Quare  
 Pro me quod supplex precibus, uotisq; popositi,  
 Impetratum aufers, tua nec sunt irrita uota.

Ad Aureliū Reningerū affinem suū epistola gra-  
 tulatoria, ob recepta Doctoris insignia.

**N**unciū ut nostras, AURELI, perculit aureis,  
 Iam tibi uictori legum tribuisse magistros  
 Palmam, & præstanti procul à natalibus aruis

Debita uirtuti, sophiæq; insignia pulchræ,  
Sacrarum postquam perfecta scientia legum  
Omne successit felici, & Apolline dextro:  
Multa diu mecum dubia sub mente reuolui,  
Num tibi gratari iustè mea Musa ualeret.

Nam cum Pierio nondum sit tincta liquore,  
Carmen tam tenui deductum scribere filo  
Vix licet ad sophiæ decus, & uirtutis alumnum:  
Verùm & amicitiae ueteris iam cogimur usu,  
Haeclenus & quo te absentem sum amplexus amore,  
Qui mihi adhuc imo remanet quoq; pectore fixus.

Gratulor ergo tibi, quod Gallia digna labore  
Præmia præstiterit, dignam capitiq; tiaram.  
Nam licet obductæ necdum lanugine malæ  
Præmolli fuerant, ætas quoq; purpureum uer  
Florida adhuc ageret, tu Gallica regna requiris,  
Longinquas tu Bitturigas felicibus auris  
Peruenis, & nexus ibi discis soluere legum.

Dædala sicut apes stipatum floribus hortum  
Ingreditur, cum iam croceo uelamine cincta,  
Carpit iter, lucem terris, aurora, reportans,  
Omnia tum placidi delibat germina ueris,  
Nunc uiolam, nunc narcissum, nunc lene papauer,  
Nunc apium, nunc illa rosam, flentemq; hyacinthum,  
Crure legit nunc fila croci uerè aurea paruo,

Donec

Donec adit repleta suas iam uespere sedes,  
 Atq; iterum sese confert in cærea tecta:  
 ALCIATI quoq; tu sic aurea dogmata magni  
 Excipis, & cupide diuini pectoris omneis  
 Carpis diuitias, & fructus colligis almos,  
 Fructus, qui mentem pulchris ornatibus ornant.

Arcadius siquidem igne lapis ceu protinus ardet,  
 Corripuit postquam rapidas in fomite flammæ:  
 Si postquam subiit iustarum amor intima legum,  
 Sollerti cura, & studio complecteris omni  
 Cæsareas penitus leges, monimenta q; Iuris  
 Nocturna uersare manu, uersare diurna  
 Non cessas, donec nodosi ænigmata Iuris  
 Exoluas, ut sis Iuris, legumq; magister.  
 Ergo tibi meritò pia Gallia digna labore  
 Præmia persoluit, dignam capitiq; tiaram  
 Imposuit, quod sis legum, Iurisq; magister.

Ad Georgium.

Qum sacra sint nobis communia, sit deus idem,  
 Qui docto Anidum præsidet usque choro:  
 Haud decet irata conceptas mente, GEORGI,  
 Nubeis nos memori corde fouere diu.  
 Commotum ipse quidem stomachum depono libenter,  
 Meq; iterum studeo conciliare tibi.  
 Obduxit quod si pariter tua pectora nubes

Fortè aliqua, hanc quæso pectore pone tuo.  
 Rarus, cui liceat motus compescere primos,  
 Sæpe iecur subita bile tumere solet.  
 Ast iræ indulgere diu, biliq; nocenti,  
 Liuiorem & memori pectore ferre, nefas.  
 In librum primum Iurisprudentiæ Sebast.  
 DERRERI Iureconsulti.

**S**oluere qui gestis sacrarum ænigmata legum,  
 Et tua iuridico proluere ora lacu:

DERRERI tu fronte hilari monimenta diserti  
 Pellege, quæ docto fundit ab ore tibi.  
 Hactenus obscuro sunt ordine tradita Iuris  
 Scripta sacri, cæcum presserat illa chaos.  
 At uerò hic iusti interpres bene fidus, & æqui,  
 Digerit in parteis ordine quæq; suas,  
 Nubibus ut iam discussis, & lumine cæco,  
 Conspiciant lumen secula nostra nouum.  
 Hactenus obscuros, legum peragrarare recessus  
 Certo calle tibi, gnaua iuuenta, datur.  
 Quicquid in hanc artem per secula longa uetustæ,  
 Perquam difficilem, composuere manus,  
 Id licet omne breuit comprehensum cernere libro,  
 Te docet hic uero tramite ferre pedem.  
 Atq; hunc plura quidem librum iam scripta sequentur,  
 Doctrinæ capies mox grauioris opus,  
 Si modo

*Si modo liuor edax morsus cohibebit amarus,  
Comprimet & linguae uerbera dira suae.*

M. Michaeli Schuichero.

**T***empora uix potui patienter iniqua tulisse,  
Sed iacui impatiens, & resupinus humi.  
Reddita Musa tamen, morbum quæ pellit acerbum,  
Quæ leuat arte malum, quæ medicina uenit,  
Vulnera quæ sanat, quæ mulcet docta doloreis,  
Ut solet archiatros corde leuare malum.  
Nil potuit uita contingere lætius omni,  
Musa, quæ curas, tristitia mæ fugat.  
Hæc nanq; auxilium fert, & succurrit amico,  
Porrigit & nanti per freta uasta ratem.  
Depellit lachrymas, subeunt iam gaudia menti,  
Indiget haud medico uulnus Apollineo.  
Incipiam posthac animi depellere nubeis,  
Duraq; fortunæ temnere damna trucid.*

M. Volphgango Duchero.

**L***imina nostra petit cur non tua docta Camœna?  
Quæ sæpe expetimus, carmina læta dato.  
Fatale extendat Lachesis num stamen amica,  
O animæ, scribas, portio magna meæ.  
Personat ut chordas uocaleis pollice molli,  
Non magis ex hilarat Phœbus Apollo deos,  
Sublimi quàm tu quoties modularis auena*

Suaufonos uersus, me recreare soles.  
 Scribe igitur quicquam, ne gaudia nostra moreris,  
 Contractæ id poscit fœdus amicitia.  
 In immaturam mortem Georgij à Schual-  
 bach V.I. Licentiati.

**A**Nte diem fera sic rumpit tua stamina Clotho?  
 Nil mouet hanc uirtus, nil pietasq; tua?  
 Siccine te rapiunt fata immatura, Georgi?  
 Qui patriæ fueras gloria magna domus?  
 Aetatis uer. qui placidum, roseamq; iuuentam  
 Spirabas, subita morte perempte iaces?  
 Scilicet ac uiole recidunt æstate, roseq;,  
 Infelix lolium, uana & auena manet.  
 Mors sic dira manus non dignis inijcit atras,  
 Optima quæq; cadunt, pessima quæq; manent.  
 Siccine fata uolunt? ò detestata potestas  
 Fatorum talis, tamq; maligna homini.  
 Sed nimirum agimur fati, & cedere fati  
 Cogimur: haud fleclat fata, querela grauis.

EPIGRAMMATVM

FINIS.